



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXXII. Profectus in bono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

piissimus pastor lassam ovem humeris suis ad ovile reducit. S. Thom. Vill. l. de S. Stephano. *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Luc. 22. 25. Alludit Dominus ad nomen Principis, quod Hebraice dicitur *Nadhib* à radice *Nadhab*; quod liberaliter, & sponte dare, significat. Doultreman de ani. l. 3 c. 2. Sect. 3.

Solis profecto partes sunt, illustrare radiis orbem: Principis verò virtus est, egenorum misereri. Porro sole ipso clarior est Imperator pius. Agaperus Diaconus ad Imp. Iustinianum de officio principis.

Duo in optimo principe requiruntur: ut scilicet adversus seipsum nullam utatur veniam, sed severum se iudicem exhibeat: erga subiectos autem mitior. & ad dandam priorum veniam sit. S. Chrysol. hom. 73 in Matth. 23.

§. IV.

Miscellanea.

Deus deorum locutus est. Pl. 49. 1. Quoniam significat per hoc nomen? & quoniam hic dicit deos? Principes. S. Chrysol. hic.

Abietes quoque latetæ sunt super te, & cedri Libani. Il. 14. 8. Per abietes, & cedros Libani, Principes gentium intellige. S. Hier. hic.

Cum principes monetæ falsarios graviter puniant; quid faciet Princeps summus de illis principibus, qui seipsos falsificant. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erud. princ. c. 7.

Ad hoc sunt instituendi Principes; ut illi, qui amore virtutis non provocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum; cogantur ad hoc timore poenæ. Id. in ep. ad Rom. c. 12. Lect. 1.

TITULUS XXXII.

PROFECTUS IN BONO.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Crescite. Gen. 1. 28. in gratia; multiplicamini in bono. Hugo Card. hic. Crescite, videlicet virtutum dignitate; & multiplicamini numerosâ quantitate. Crescite, subauditur, usque ad coeli regnum, certumque numerum; qui utique solius ejus scientiam non latet, cui capilli quoque capitis nostri omnes numerati sunt. Rupertus in Gen. l. 2 c. 9.

Perrexitque Abram vadens, & ultra progrediens ad meridiem. Gen. 12. 9. Meridies significat perfectionem. Bene ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab aurora fidei suæ ultra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio ad plenum, & æterum pervenit perfectionis diem. Id. ib. l. 5 c. 6.

Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. Gen. 26. 13. De Isaac testimonium statura prodit, quod proficiens crescebat, donec magnus effectus est. Crescebat virtutum studiis, & officiis. Crescebat iustitia, & pietate. S. Gregor. Niss. or. 2. in hominis procreationem.

Vidit in somnis scalam. Gen. 28. 12. Ego pietatis exercitationem scalæ Jacob visæ rectè comparaverim: cujus pars terram, pars verò cælum attingebat. Ex quo eos admonere opus, qui ad virtutem ducendi sunt; ut primis admoveant gradibus vestigiis; & inde paulatim ascendendo, progrediendoque, ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem perveniant. Quemadmodum autem in gradibus prima est ascensio, ab humo recessus; sic in exercitatione laudabilis operis discessus à malo. S. Basilus in Pl. 1. Beatitude consummata comparatur Luc. 22. 30. Thronis, & sedibus, quæ sunt ad quietem deputata: quia est ultimus terminus, & quies, beatorum: cessavit enim jam via, peregrinatio, ascensus. At bea-

Polyanib. Sacra, Tom. II,

titudo hujus vitæ assimilatur scalæ, ad ascendendum, vel descendendum. de Ponte in Cant. 1. 1. Exh. 17. § 3.

Rachel-concepit, & peperit filium; dicens: abstulit Deus opprobrium meum. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens: addat mihi Dominus filium alterum. Gen. 30. 23.

24. Cum sibi de fecunditate blandiri debebat, ambitiosior appetit fecunditatem. Ipso Josephi possessio novam ingessit studium; & ipsa, quæ finiendum putabatur, fecunditatis amplius auctum est desiderium. Naxera tr. de B. V. § 25.

Egressique de Cades castrametati sunt in monte Hor. Num. 33. 37. De Cades castrametati sunt in montem Hor, qui interpretatur mons: quasi legeretur, ascendit in montem montis, vel in vertice montis. Per quod significatur, quod de virtutibus non debemus esse securi; sed semper in excelsiori gradu ad virtutum culmina festinemus. V. Beda hic.

Et ascendebat. 1. R. 1. 3. Tota vita justorum est ascensus; è converso tota vita impiorum descensus est. Hugo Card. hic.

Ascendit autem Jonathas, manibus & pedibus, reptans. 1. Reg. 14. 13. Jonathas viam arduam ingressus, & in ea nunquam regressus, sed semper progressus; exemplum præbet iis, qui virtutis viam aggrediuntur, ut semper progrediantur. Mendoza hic. Annot. 20. Sect. 1.

Da mihi paululum aquæ &c. 3. Reg. 17. 10. Elias Christus; mulier qualibet Fidelis anima. Primò Dominus petit aquam; per quam minora opera significantur; deinde panem, qui difficile masticatur; id est, majora opera. Primò vocat Dominus ad impletionem præceptorum; deinde invitat ad supererogationem consiliorum. Hugo Card. hic.

Ascensiones in corde. Pl. 83. 6. Prima incipientium, secunda progredientium, tertia perfectorum. Prima est, in Mundo bene vivere; secunda est, Mundum contemnere; tertia, su-

Sss 2

pra

pra Mundum in Deo per contemplationem quiescere. Hæc est via tridua, de qua Ex. 5. 3. Hoc est triplex Pascha: primum in Ægypto Ex. 12. secundum in deserto. Num. 9. tertium trans Jordanem in Galgalis. Jos. 5. Hoc est triplex osculum sponsæ: primum ad pedes, secundum ad manus, tertium ad os. Juxta hunc triplicem ascensum Salomon triplicem librum composuit: Proverbia, Ecclesiastem, Cantica: in primo docet bene uti Mundò, in secundo contemnere Mundum, in tertio sponsæ amplexibus, & osculis, anhelare. Hugo Card. in Prologo ad Ecclesiastem.

Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Pf. 91. 13. De hac arbore Apponius l. 3. in Cant. semper crescere fertur, nec aliquando finitur ire in senectam. S. Leo s. g. de Pass. D. quantumlibet quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quò probator esse possit, & melior.

Viam mandatorum tuorum cucurri. Pf. 118. 32. S. Ambros. hic: ut bonus equus. Dion. Cassius Utic. lib. 6. agric. c. 2. boni equi hæc nota est, quando stans impatienter tolerat quietem; & terram pedibus pulsans, cursum meditatatur. Clem. Alex. apol. mor. l. 1. c. 1. nihil organorum nostrorum natura pôst, sed antè, tantum composuit (verum est in oculis, olfactu, gustu, auditu, manibus, pedibus) Cyrillus: ut in virtutis actibus non retrocedentes, inò semper procedentes, crescamus. Did. Niss. Vita Abr. l. 6. c. 1.

Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, usque in perfectam diem. Prov. 4. 18.

Surge, propera, veni. Cant. 2. 10. Cuncta, que intus loquitur, ad hæc tria tendunt: ut sit felix initium, fervor in progressu, & perseverantia usque in finem; ad quam sequitur adeptio gloriæ. Exhortatur enim: ut anima surgat à malo in bonum, à bono in melius, à meliori ad optimum. Et in hoc discernitur divina locutio à diabolica. Vox enim inimici est: ut, qui stat, cadat à majori bono in minus, à minori in malum, à malo in pejus; properans in deteriora usque ad obstinatam, & pessimam, consummationem. Unde vox diaboli est: *mitte te deorsum.* Matth. 4. 6. de Ponte hic Exh. 13. §. 3.

Sicut greges tonsarum, que ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fetibus; & sterilis non est inter eas. Cant. 4. 2. Iusti in lavacro baptismi sunt sicut oves tonsæ: quia terrenæ veteris hominis indumenta exuunt, & celestis Adam candorem induunt. Inde verò ascendant; quia semper ascensiones in corde suo disponunt; semperque gaudent gemellis fetibus: quia continuo binis gaudent operibus; vel amoris Dei, & proximi; vel iustitiæ, & misericordiæ. de Ponte hic Exh. 10. §. 4.

Que est ista, que progreditur quasi aurora surgens. Cant. 6. 9. Non solum exorta dicitur, sed progrediens ultra. *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Tam citò aurora luxerat; jam luna radiat, jam sol effulget. Nimirum timuit periculum, si manè illi suo adhereret: ascendit

sedula; meridiem sollicitat, Ramirez in ep. 4. Apoc. 2. v. 28.

Quam pulchri sunt gressus tui. Cant. 7. 1.

Statura tua assimilata est palme. Cant. 7. 7. Joan. de S. Gemin. palma, quò annosior, tanto fructuosior; arbores aliæ cum ætate proficiunt, sterilefcunt.

Videamus si floruit vinea: si flores fructus parturiunt. Cant. 7. 12. O quot flores parturiunt nihil! floruit? non est satis; debent flores ad majora niti. Oliva. l. 4. Strom. §. Que est ista.

Que est ista, que ascendit? Cant. 8. 5. Ea demum Christi sponsa est, que semper ascendit. Nisi seipsa quotidie major sit, sponsa non est. Id. ib.

Simon Onia filius - quasi stella matutina - & quasi luna plena, - & quasi sol resurgens. Eccl. 50. 1. 6. Tria alia; aliud aliò perfectius, & clarius, commemorantur. Ut significetur: bonum illum principem defecisse nunquam; sed à claritate in claritate indies profecisse. Mendoza in 1. Reg. 14. Annot. 20. Sect. 1.

Gradus autem ejus versè ad orientem. Ezech. 43. 17. Nihil ferè erat in Augustissimo illo templo Ezechieli objectò, quod certò pondere, numero, & mensura, non clauderet, nihilominus gradus, quibus propitiatorum ascendebatur, nullò certò numero continebantur. S. Hieron. hic: propterea graduum numerus incertus relinquitur: ut, quantumcunque studiò ad altiora scandere poterimus, in inferioribus nos putemus collocatos; & cogitemus illud psalmista: *ibunt de virtute in virtutem.* Mendoza ib.

Ex Novo.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua &c. Matth. 3. 16. Baptizatus à Joanne Jesus in Jordane, ascendit de aqua Jordanis, ad majora se tollens; ut virtus sequatur ad virtutem, & bonis meliora nectantur. Et morum disciplina præstruitur in omnibus actionibus, & sermonibus ejus; ut sequamur vestigia ipsius Sim. Cass. l. 1. c. 19.

Nisi efficiamini sicut parvuli. Matth. 18. 3. Quid in parvulis reperitur, sinè quò regnum coelorum non attingitur? Hoc habent naturalissimum; quòd omni tempore, sive dormiant, sive vigilent, semper tacitis augmentis corporis accrescunt, & proficiunt. Tertull. l. 4. in Marcion: ecce Christus diligit parvulos, tales esse velint. Bæza t. 1. l. 5. c. 1. §. 18.

Amen dico vobis: ubicunque predicatum fuerit hoc Evangelium &c. Matth. 26. 13. Cur huic unctioni in Bethania promittitur predicatio in toto Mundo; non reciproce Luc. 7. 38. Orig. hom. 35. si volumus, ut & de nobis dicatur, quòd facimus in Jesu, effundentes pretiosum unguentum in caput ipsius; proficiamus ab unctione pedum ejus, ad effundendum pretiosum unguentum super caput ejus. Meritò non in prima Magdalene conversione, & virtutum incunabilis, id promittitur; sed quando perfectior sublimioribus virtutibus verticem Domini ungit. Sylveira hic. q. 14.

incc-

Incedentes &c. Luc. 1. 6. Rectè, postquam dixit, *justi*, dicit *incedentes*; in quo profectus est operis. Sic Psalmilla: *beati immaculati in via, qui ambulat &c.* Hugo Card. hic. *Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. 49. Nullum ex elementis Christus venit mittere, nisi ignem. S. Ambros. l. 7 in Luc. Dominus ideo promittit se venturum in igne; ut vitia consumat; & homines ad cœlestia perpetuò erigat, q. d. ignis semper sursum tendit, nec unquam quiescit; sed innatà quâdam vi ad superiora se erigit. Hanc igitur naturam omnibus hominibus Christus venit in terram in dere. Pinna Ethol. 78.

Ambulate, dum lucem habetis. Joan. 12. 35. Ambulare, proficere est. Ambulabat Apostolus, qui dicebat: non *arbitror me comprehendisse*. Non ambulantes, sed sedentes, à mortis tenebris comprehendi periculum est. Et quis sedens? nisi qui non curat proficere. S. Bernardus l. 49. Cant.

Qui totus est, non indiget &c. Joan. 12. 10. Lavat pedes, postquam mundi erant: quoniam gratia Dei transcendit necessitatem; & sicut dicit Joannes, mundus mundificetur adhuc. Orig. hom. 22. in Joan.

Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Joan. 21. 5. In hac lectione pueros alloquitur; ut festinent crescere. Quid est enim crescere? proficere. Infans avidè inhiat uberibus matris, & citò crescit. S. August. tr. 3. in ep. Joan.

Ascende huc. Apoc. 4. 1. Qui jubetur ascendere, cum Spiritu iam fuerit in cœlo? c. 1. 10. Erat in via, in qua non sistendum. Sylveira hic.

Sicut in pecuniis, qui duos juratus est aureos, proclivis est ad decem, & duodecim, colligendos; sic usu venit in virtute: qui fecerit bonum opus, officiumque præstiterit; eximulationem sumit, ut quoquò modò benefacere cumulet. S. Chrysost. or. 4. contra Judæos.

Motiva proficiendi.

Primò.

Sic faciebat Job cunctis diebus. Job. 1. 5. Olympiodorus: neque interdum actiones virtutis suscipiebat, aliquando verò prætermittebat; sed iusti vita ad eò semper apta erat: virtutum enim, bonarumque rerum, cessatio reditus est ad improbitatem.

Semper tibi displiceas, quod es; si vis pervenire ad id, quod nondum es: nam ubi tibi placuisti, ibi remanisti. Si autem dixeris, sufficit, & peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere. S. August. l. 15. de verb. Ap.

Hæc est perfectum vera justitia; ut nunquam præsumant, se esse perfectos: nè, ab itinere nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in desitiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus, & sanctus est, ut perfectior, sanctiorque, esse non possit; omnes simul sine differentiâ graduum, sine discretionem meritorum, ab iis, in quæ pervenimus, in

ea, quæ nondum apprehendimus, piâ aviditate curramus. S. Leo l. 2. de Quadragesima.

Qui non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, non nihil perdit. Id. l. 8. de Pass. Dom.

Cave, nunquam in via virtutis subtilitas, tibi enim, qui à viciosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, ac si in imum vitii gurgitem laberis. S. Gregor. Naz. in Sentent.

Nullus gradum bonæ vitæ, quem jam ascendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorrem proficere non appetit. Semper igitur necesse est, ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum. S. Anselmus l. 2. epist.

37. Dum quisquam ad altiora non currit, ad inferiora descendit. S. Paschasius l. 5. in Thren. c. 5.

In via vitæ non progredi, regredi est. S. Bernardus l. 2. in Purif. B. V.

Nulli in eodem statu diu esse conceditur sermo Dei; aut semper proficiendum, aut deficientum est; aut sursum nititur, aut in inferiora urgetur. Id. ep. ad FF. de vita solit.

Vidit Jacob in scala Angelos descendentes, & ascendentes. Nunquid tantem quempiam, sive sedentem? aut ascendas, necesse est, aut descendas. Si attentas stare, tuas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Id. ep. 97.

Qui non studet ad proficiendum, est in periculo deficienti: videmus enim, quòd, nisi remiges conantur ascendere, navis semper descendit. S. Thom. Aqu. in 2. Cor. 13. Lect. 3.

Secundò Exempla.

Ego verò egenus, & pauper, sum. Psal. 69. 6. Videamus, cum sit cœlesti thesaurò ditissima, ubiq; se egenam, & pauperem dicit gloriosa paupertas: utique quia mundanas copias non habet; & intus, ubi est dives, semper ambit, semper desiderat, semper accipit; sicut dicit Apostolus Philipp. 3. 13. *fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Vides, meritò tales dici egenos, qui continuo gratiam divinitatis acquirere exoptant. Cassiodorus hic.

Dixi, numc capi. Pl. 76. 11. dixit David; postquam plurimos annos sanctis exercitationibus consumpserat. Nos vix duos dies jejunamus, vix duas horas oramus, vix duos obolos &c. jamque in apice perfectionis nos putamus. Diez. conc. 2. in Nat. B. V.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam, doce me. Pl. 118. 66. Cur adhuc perit doceri, quod jam se superius accepisse, confessus est? scilicet, quoniam bonarum rerum nullâ satietas est: quæ, more flagrantis incendii, quanto amplius per arida ligna cucurrerit, tanto copiosius aestuabit. Nam & Apostoli fidei calore ferventes dicebant. Luc. 17. 5. *adauge nobis fidem.* Cassiodorus hic.

Fuge Dilectè mi &c. Cant. 8. 14. Fuge nobis cautus, ac providus; nè unquam, dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur; sequentes, ut comprehendamus. S. Rupertus l. 7. in Cant. hic.

Nemo esse bonus plus, quam oportet, potest. Bonus erat jam Paulus; & tamen, nequam contentus, libenter se ad ea, quae ante se sunt, extendebat, posteriora obliviscens, & seipso semper melior effici studens. S. Bernardus ep. 91.

Tetrid.

Proficere semper potes.

Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Plal. 106. 32. Seniorum cathedra non usitata in universitatibus: nam, cum quispiam inter docendum consenuit, rude donatur, & quiescere jubetur. Sed longè alia statuta Scholæ Dei; in qua non dantur emeriti, nec feriatorum Lycæum. Nul- lum decet dieere, satis Deo servivi, volo esse emeritus; *bonum est nos hic esse.* Nequam, inquit David, sed *in cathedra seniorum laudent eum.* Did. Nils. D. 2. Quadr. §. 8.

Fasciculus myrrhe. Cant. 1. 12. Cur non vocatur *fascis*, sed *fasciculus*? quia, quantumvis conemur in hac vita Deum, & Christum, eorumque perfectiones, & opera, colligere; quidquid colligitur, fasciculus parvulus est comparatione ejus, quod restat colligendum. De Ponte hic l. 4. Exh. 3. §. Fasciculus &c.

Bonum est nos hic esse. Matth. 17. 4. Nè dixeris cum Petro: nam oportet semper proficere, & non permanere in unu gradu virtutis, & contemplationis; sed ad alia transire, Theophylactus hic.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum asseratis, & efficiamini mei Discipuli. Joan. 15. 8. Quomodo Discipuli efficiendi, si jam sunt? Cajet. nota: quod de existentibus jam Discipulis suis ait, *efficiamini mei Discipuli* ut intelligamus, perseverantiam manendi in JESU consistere in continuo effici ejus Discipulum; hoc est, continuo profectu sub disciplina ejus. Did. Nils. Vit. Abr. l. 6. c. 1.

Transformamur à claritate in claritatem. 2. Cor. 3. 18. Tenuiter micans stella affuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & dierum. S. Chrysol. l. 87. à manè sereno gradere ad meridiem, à stella ad solem, à charitate in charitatem, Baeza t. 2. l. 7. c. 1. §. 11.

Et opera tua novissima plura prioribus. Apoc. 2. 19. Lyran. plura prioribus, procedendo scilicet de bono in melius. Rupertus hic: opera illius novissima plura vel meliora, sunt prioribus: quia, cum timore opus bonum inchoaverit, pervenit ad charitatem; quæ perfecta foras mittit timorem.

Nemo tam sanctus, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior. S. Leo l. 11. de Quadr.

Quisquis in Schola Christi non proficit, ejus indignus est Magisterio. S. Bernardus ep. 3. 1.

§. III.

Proficiendi alia motiva varia.

Ex Veteri.

Germinet terra herbam virentem. Gen. 1. 11. ait Deus in Mundi fabrica. Postea ait v. 20. *producant aqua reptile.* Tandem, productis brutis, ait v. 26. *factamus hominem.* Vide o homo, quomodo ab exordio rerum te divina Sapiencia doceat; ut in tuis operibus semper ad altiora procedas. Sylveira in Luc. 7. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Prov. 8. 22. quia ita currit, ita terminum viarum attingit; ut semper sit principium viarum. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 4. Sect. 2. Obs. 2.

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus purificationis, perfectionis, adventus. Cant. 2. 12 q. d. mox ut flores apparent, & initia vite florescunt; jam ferè adest tempus secandi per mortem: *ideò surge, propera, & veni*; ad studiosè operandum. de Ponre hic Exh. 21. §. 2.

Cum consummaverit homo, tunc incipiet; & cum quieverit, aperietur. Eccl. 18. 6. Quomodo incipiet cum consummaverit? quia cum verticem virtutis attingisse videbitur, quasi vacuum se reperisset, debet principium arripere ad vias difficiliore. S. Gregor. nescit mens per torporem veterascere; quæ semper studet per desiderium inchoare. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 4. Sect. 2. Obs. 1.

Ex Novo, Patribus & alijs.

Beati, qui esuriunt &c. Matth. 5. 6. Nemo ita saturari bonis agendis se credat, ut non semper apponat: nam si cessaret esurire, aut fastidio fieret, aut quia crederet se attingisse, quod perfectum in virtutibus est. Et utrobique periculum: quia negligens negligetur; & qui se putat alta ascendisse, dejicietur. Proinde nemo ad hanc esuriam adjiciat satietatem; nemo ad hanc sitim apponat extinctionem. Sed quid est esurire, atque sitire, justitiam? nisi se insatiatum, & insatiabilem, reddere ad omne, quod paratur ad regnum; ad corrigendum omne perperam factum, ad vindicandum in seipso delictum, & puniendum amare peccatum: ad rependendum pro gratia, ad debita persolvenda, ad custodiendum immaculatè deposita, & ad perficiendum sine contradictione injuncta; & ad patienter por tandum quæcunque nostræ sensualitati contraria. Sim. Cas. l. 10. c. 7. *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* S. Chrysol. hic: & rectè illud jam ex tempore ostendens, esse improbabile, quod dicitur, & esse à ratione alienam eorum opinionem. Si puerum à domo, quantum jactus est lapidis abducas; vel mox fatigatur, vel Mundi se finem putat attingisse. Qui unà elemosynâ, unò jejuniò putat in supremum liberalitatis, vel poenitentiae, cacumen se pervenisse; nã ille puerili est animò. Did. Nils. Vit. Abr. l. 6. c. 1.

Date

Date nobis de oleo vestro. Matth. 25. 8. Non extinctas dixerunt, sed *extinguuntur*; quasi aliquid lucis haberent adhuc. Cur ergo non presumunt properanti jam Christo obviam ire? cur non sperant breviculò illò spatio lucem duraturam? Salvianus l. 2. ad Eccles. ex quo intelligimus, id, quod parum est, quasi nihili esse: nequaquam omnino prodest, illico extinguendum lumen accendi; nec juvat, aliquid elucescere, quod in ipso ortu habet occasum; & ad hoc habere tantummodo initium viventis, ut posuit finem habere morientis. Ramirez in Apoc. 2. 28. ep. 4.

Nemo mittens manum suam ad ararum &c. Luc. 9. 62. Quæ à tergo sunt, jam confecta; quæ verò ante faciem, restant facienda. Quisque consideret, non quid fecerit, sed quantum ei super sit; quanta agrorum spatia aranda ei incumbat. Ezech. 1. 12. *Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur; nec revertiebantur, cum ambularent.* Sylveira hic c. 9.

Principium, qui & loquor vobis. Joan. 8. 25. Edocet iustus; nunquam sistere in perfectionis via; sed in vertice collocatos novas perfectionis vias inchoare. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 4. Sect. 2. Obj. 2.

Tanquam à Deo, & rege nostro, vocati eurramus alacriter; nè si fortè paucò tempore vixerimus, in die mortis infructuosi inveniamur, & fame perlamus. Joan. Climacus gr. I. de inanibus vitæ fuga.

§. IV.

Profectus praxes, & adjumenta.

SI de virtute in virtutem, & de profectu ad profectum, vultis ascendere; semper timete

in singulis minimis Deum offendere. S. Anselmus ep. 6. Monachis in Cistere. Coenob.

Comparanda est dies instans diei præteritæ; ut ex eorum collatione surum deprehendere possit Monachus vel profectum, vel defectum. S. Bernardus in spec. Monachor.

Impossibile est, pervenire ad perfectionem cujuscunque gratiæ, vel virtutis, aut cujuscunque devotionis, vel gustus dulcedinis Dei; nisi multa astimatio altitudinis ejus præcedat. Res enim neglecta, & parvipensa, non multum curatur haberi. Quid enim est negligentia, nisi quedam neglecta rei parvipensio & contemptus? S. Bernardinus l. 56.

Hodie aliquid inchoare, & cras modicum addere, & sic diebus singulis virtutem virtuti propositò jungere; perficit hominem virtuosum, devotum, purum, sanctum; DEO, & hominibus, charum. Gerson epist. incitatoria ad spiritual. prof. Idem habet Thom. Kemp. Cohortat. ad spir. prof.

Miscellanea.

Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 2. Reg. 19. ait Berzellai v. 34. ad Regem: *quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? obsecro, ut revertar servus tuus, & moriar in civitate mea.* Ita dicunt multi, quando verus David vocat eos ad ascensum melioris vitæ: sufficit nobis status noster; bene sumus, bene possumus sic mori. Hugo Card. in Luc. 5.

Mos mihi est, ad meipsum singula quæque referre; præcipue si quies mihi sit, si vacet animi moribus adaptare, quod videtur in oculis. Unde & oculorum visio est mihi mentis eruditio. S. Gregor. Naz. in Apologetico de seipso.

Promissa, Vide tit. Fidelitas.

TITULUS XXXIII. PROPOSITA BONA.

§. I.

*Symbola, similitudines.**Conceptio.*

Peperit filium. Luc. 1. 37. Non concepisse quid proderit, si partus defecerit: nec enim boni agendi sufficit desiderium, nisi, cum possit, succedat effectus. Sim. Cas. l. 3. hic.

Non omnes sunt, sicut MARIA; ut, dum de Spiritu S. concipiunt, Verbum pariant. Sicut autem, qui abortivum excludunt verbum, antequam pariant. S. Ambrosius, apud Naxera in Jos. 18. §. 16.

Si non potes Filium carne concipere, saltem mente concipias per bonum propositum, per bonum cogitarum: forma eum per bonum affectum, & parias per actum perfectum, nè fortè possit dici de te, quod de malis. Isa. 37. 3. *vererunt filii usque ad partum, & virtus non*

est pariendi. S. Bonavent. l. 39. de Nat. B. V.

Ros.

Fulcite me floribus. Cant. 2. 5. Quid sunt flores? nisi animæ bonum jam opus inchoantes, & desiderium cœlestis redolentes. Quid mala de floribus? nisi perfectæ jam bonorum mentes; quæ ad fructum jam perveniunt, boni operis de initio Sanctæ propositionis. - Anima ergo sancta, amore languida, floribus, malisque, fulciatur; ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. S. Gregor. hom. 15. in Ezech.

Videamus, si floruit vinea; si flores fructus parturiunt. Cant. 7. 12. Florent vineæ, cum mentes Fidelium bona opéra proponunt. Sed fructus non pariunt, si ab eo, quod proposuerant, aliquibus terroribus infirmantur. Non ergo intuendum est, si vineæ florent; sed si flores